

Kreis

Warendorf

S. 95

1312 Juni 21.

1195

Bischof Dietrich (II.) von Paderborn, der Propst von Kappel, Ritter Reinfrid von Erwitte und Meinhard Huddich schließen einen Vertrag wegen des Salzwerks in Westerenkotten.

Theodoricus Dei gratia Paderburnensis ecclesie episcopus, prepositus monasterii in Cappele, Renfridus de Ervithe miles et Meynhardus dictus Huddich recognoscimus et notum esse volumus, quod unanimi consensu et deliberatione communi in hoc convenimus statuentes, quod nos universi et singuli deinceps nulli aquam puteorum nostrorum, areas casarum in Weysternkoten ad operationem salis preter datas iam et assignatas dabimus vel vendemus. Et nonaginta et due domus operum salis nunc ibidem existentes et non plures numero permanebunt. Habebimus quoque potestatem duas domus vel tres in unam domum iuxta utilitatem et placitum nostrum cuiuslibet adunandi et salem in eis divisis et adunatis per nos et quemlibet nostrum et cuiuslibet nostrum nomine et auctoritate per nostrum nuncium, qui tamen civis in Westerenkotten secundum morem antiquorem fiat vel fuerit, operandi. Item pensionarii qui pro tempore fuerint si a solutione pensionum temporibus ad hoc statutis cessaverint, a iure, quod in dictis dominibus et puteis habebant, cadent ipso facto, ita quod domini puteorum sibi vel aliis de illo iure poterunt providere et sine contradictione civium in Westerenkotten assignare et locare, sicut in locationibus agrorum et bonorum suorum fieri est consuetum. Promittimus etiam premissa fide data vicissim corporali et sub poena centum marcarum puri argenti, quam poenam contraveniens et non servans servant et servantibus solvet, firmiter observare et non contrafacere ullo ingenio sive modo, salvis iuribus dominii et iure nostro, consuetudinibus et statutis hactenus observatis, quibus extra predicta in nullo volumus derogari. In huius rei testimonium et perpetuam memoriam nos episcopus, prepositus, Renfridus et Meynhardus predicti sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum Albani martiris anno incarnationis Dominice millesimo tricentesimo duodecimo.

Abschr. des 17. Jhdts., F 1a 1; ferner Abschr. des 17. Jhdts. des Biblins von 1343 März 17 (j. u. Nr. 2).